

EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*Fe. 21.*

DE FEBRIBUS

DISPUTATIO XII.

De

FEBRIBUS PE-

STILENTIBUS AC MA-

LIGNIS IN GENERE,

*Cujus Theses,*

CUM DEO,

SUB PRÆSIDIO

DANIELIS SENNERTI, D.

Facultatis Medicæ Professoris ac Senioris,

& Sereniss. Electoris Saxon. Medici,

*Publicè defendendas suscipiet*

JOHANNES HENRICUS HELMANNUS,

Osterodâ Grubenhageniacus,

*die 2. Augusti.*

In Auditorio Medicorum,

Horis matutinis.



WITTEBERGÆ,

Exscripta Typis hæredum SALOMONIS AUERBACH,

ANNO M. DC. XXVIII.

112

...sio fa-  
...luma-  
...s vino  
...eliqua  
...a im-  
...onclu-  
...conve-  
...ndum,  
...uidem  
...postea  
...fuligi-  
...m im-  
...n, vino  
...ora re-  
...ntibus  
...n cute  
...s ser-  
...mque  
...est, ut  
...ndum,  
...nerata  
...tionis  
...em-



DI. FERREBUS

FERRIBUS PE

STILLENTRIBUS AC MA

D. M. FERREBUS

ANNO MDCXXVII



D



pef

sa

den

ten

ipf

sa

qu

gra

tan

ob

fun

nic

di

oc

in

eti

le

m

le

br





## DE FEBRIBUS MALIGNIS AC PESTILENTIBUS IN GENERE.

### THESIS I.

**U**m in pestilentia summus humorum corruptionis gradus sit, ad eum per malignas & pestilentes febres quasi adscenditur : de iis ergo jam dicendum, primoq; videndum, qua ratione hæc tria, pestilentia, pestilens & maligna febris differant.

II. Pestilentiam in occulta quadam & homini planè adversa Qualitate sitam, eandemque contagiosam esse, & febrem quidem non de ejus essentia esse, eam tamen plerumque sibi committentem adsciscere, præcedente disputatione dictum est. Itaque ipsa pestis etiam, ubi febrem conjunctam habet, non sine causa febris pestilentialis appellari potest.

*Pestilentia  
pestilentes &  
maligna fe-  
bres quomodo  
differant.*

III. Dicuntur tamen & aliæ febres pestilentes sine peste, in quibus humorum corruptio nondum quidem summum illum gradum, qui pestilentis veneni naturam constituit, attingit, ipsæ tamen etiam veneni ac malignitatis aliquid pestilentiaæ similis obtinent, & proinde vel non perniciosæ, vel non contagiosæ sunt, vel si utrumque obtinent, mitius tamen, quam pestis, perniciosæ & contagiosæ sunt. Pestilentis enim febris in specie dictæ ac pestilentis veneni differentia (cum utriusque natura occulta sit) perniciosi & contagionis vehementiâ se prodit, quæ in Sporadicis febribus est manifestissima, in Epidemiis tamen etiam sæpè minor, quam in ipsa peste animadvertitur.

IV. Malignas verò febres quod attinet, etsi & verè pestilentibus in genere hoc nomen tribui possit : tamen in specie malignæ dicuntur, in quibus adhuc minor, quàm in verè pestilentibus, corruptionis gradus est, & in quibus humores, qui febrem accendunt occultam aliquam & ad venenositatem accedentem



dentem qualitatem habent: Unde & minor est pernicietas & contagium quandoque planè abest.

V. Et ut res paucis comprehendatur, si in febre aliqua ex symptomatibus pateat, præter putredinem occultam & malignam adesse qualitatem, pauci tamen inde moriantur, sive Epidemix sint febres, sive sporadicæ, sive contagiosæ sint, sive non sint contagiosæ; primus hic corruptionis gradus est, febrisq; illa appellatur in specie maligna. Si verò plures jam moriantur, alii tamen non ita inficiantur, vel licet contagium quoddam & pernicietas etiam quædam animadvertatur, nec contagium tamen, nec pernicietas summum gradum attigerit, ac non pauci convalescant: pestilens febris in specie nominatur. Si tandem plurimi, qui ægrotare incipiunt moriantur, ac obvii quique inficiantur, imò contagium in loca etiam remota disseminetur, Pestis est.

*Febres pestilentes & malignæ ad quodnam febrium genus pertineant.*

VI. Porro cum febrium tria sint genera, ephemera, putrida, hæctica, & rursus putridarum aliquot differentix: quæritur jam, ad quod febrium genus malignæ ac pestilentes pertineant, seu an omnibus febribus, an verò certo cuidam generi malignitas ac pestilentia accedere possit.

VII. Nullas autem ephemeræ ac hæcticas malignas & pestilentes dari statuimus; quod in omnibus febribus malignis & pestilentibus manifesta corruptionis seu putredinis humorum indicia adsunt; licet humor ille malignus & pestilens simul sæpè cum spiritibus insignem antipathiam habeat & periculosissimam febrem exciter.

VIII. Febres autem putridæ pestilentes in specie omnes continuæ sunt; cum venenatæ putredinis ea vis sit, ut facile in omnes venas ac arterias sese diffundere, omnesque humores corrumpere possit.

IX. Febres autem in specie malignæ dictæ, etiam intermittentes esse possunt, ut ipsa experientia testatur. Nec impossibile est, ut etiam in primis viis putrescentes humores malignitatem aliquam concipiant: & cum in talibus febribus tanta veneni vis non sit, nihil obstat, quin natura statis periodis excretiones aliquas instituere possit.

X. Con-

X. Continuae verò pestilentes nulli earum generi peculiariter addictae sunt, sed pro ut putredo in hunc vel illum morbosum apparatus incidit, ita etiam hæc vel illa febris continua excitatur, nunc synocha, nunc periodica; unde etiam varia pro morbofo apparatu oriuntur symptomata.

XI. Porro febrium malignarum ac pestilentium differentias quod attinet, cum in qualibet febre tali duo reperiantur, ipsa febris putredo & malignitas; harum ratione & febres hæ variant. Nam interdum & à putredine, & à malignitate æquale malum imminet, quæ febres, si & putredo & malignitas sit magna, sunt periculosissimæ; si verò nec putredo nec malignitas sit magna, febres non periculosæ sunt. Interdum major est putredo, qualitas verò maligna non ita vehemens; ac tum febris ad aliarum putridarum naturam magis accedit. Interdum putredo non est magna, qualitas autem maligna vehemens, talesq; febres apparent quidem mites, sed sunt fraudulenta & periculosæ.

*Febrium pestilentium & malignarum differentia.*

XII. Ipsam verò malignitatis & pestilentiae naturam quod attinet, etsi ea sit occulta, ex effectibus tamen etiam quandam varietatem deprehendere licet, dum nunc maculae, nunc morbilli, nunc variolæ erumpunt, nunc sudores nimii, nunc catarrhi, pleuritis & alia mala, pro ut venenum cum hac vel illa parte peculiarem antipathiam habet.

XIII. Causas harum febrium quod attinet, cum malignitas earum minor sit, quam pestilentiae, & per hanc quasi per gradum ad pestilentiam adscendatur, quæ causæ pestis sunt, eadem ferè & malignarum & pestilentium febrium erunt, sed mitiores, Aër præcipuè, Cælum, victus ratio & contagium.

*Causa.*

XIV. Febres nimirum malignæ oriuntur primò à morbofo corporis apparatu. Hic autem oritur à cibo prævo & putredini & corruptioni faciliè obnoxio, de quo videatur Galenus, libro de cibis boni & mali succi. Possuntq; humores in corpore nostro ita corrumpi, ut veneni naturam induant, de quo dictum est in Institutionibus, lib. 2. part. 2. cap. 12. Deinde etiam ex causis communibus aëris nimirum constitutione minus commoda, ut & stellarum influxu.

XV. Pe-

XV. Pestilentes verò febres in specie dictæ easdem causas habent, sed graviores, quæ tandem, si augeantur, pestilentiam producant. Unde febres malignæ & pestilentes diu durantes tandem in pestem abire solent.

*Signa diagnostica februm pestilentium.*

XVI. Eodem modo sese res habet de signis diagnosticis. Apparent enim in febre pestilentiali in specie dicta eadem ferè signa, quæ in Peste, sed pauciora, vel mitiora: & sunt tales febres non tam perniciosæ vel contagiosæ: ut ipsa Pests.

XVII. Quantum autem ad signa differentiarum, si & malignitas ac putredo sit maxima, vires valdè dejiciuntur, & gravissima ac pessima apparent symptomata: si putredo sit summa, malignitas verò parva, febrilia quidè, quæ putredinem comitantur, symptomata satis sunt vehementia, sed vires non ita dejiciuntur. Si autem putredo non est magna, qualitas verò maligna vehemens, mitia satis, quæ febrem comitantur, sunt symptomata, vires autem valde dejiciuntur.

XVIII. Si humores solùm afficiantur, apparent bubones, carbunculi, parotides, maculæ, pustulæ, & alia putridarum februm indicia. Si spiritus valdè afficiantur, hæc signa absunt, nec calor est magnus, vires subito concidunt, ægriq; animi deliquia patiuntur, pulsus sunt inæquales, imbecilles ac languidi, febrisq; ipsa uno, duobus vel tribus diebus ad salutem vel mortem terminatur. Si tandem cor valdè affligatur, adest summus virium languor, nec ægri de magno calore conqueruntur.

*Malignarum.*

XIX. Malignas autem febres quod attinet, eas in principio statim cognoscere difficile est, cum malignitas sæpè diu lateat, & non, nisi ubi vires sum sit, sese prodat. Quapropter signa omnia diligenter perpendenda sunt, & si quid suspectum sit, id diligenter perpendendum.

XX. Sunt autem omnia signa in malignis majora, quàm pro febris natura, & symptomata, quæ apparent, vehementiora, quàm quæ à febre provenire possint, virium nimirum debilitas, inquietudo, anxietas major, quàm pro caloris febrilis ratione: Pulsus frequens, parvus, debilis: aut si is naturalis videatur: tamen alia prava symptomata adsunt. Urina interdum est sanorum similis, interdum tenuis & cruda, nullumque habens sedi-



sedimentum, aut si quod habeat, excremento potius simile, quam sedimento: interdum crassa, colorata, turbida, rubrum & turbidum sedimentum habens. Calor quam pro natura morbi & symptomatum mitior. Facies à naturali & vivido illo statu multum mutata.

XXI. Itaq; his quidem pestilentes ac malignæ febres factis agnosci possunt, accedunt tamen & alia; sopor gravis, vigilia, deliria, dolores capitis, aurium sibilus & surditas, vomitus, alvi profluvia, hæmorrhagiæ narium. Erumpunt hinc tumores post aures, sub alis ac inguinibus, variæ item maculæ, ac nihil mali est, quod in aliis periculosis febribus apparet, quod non in hisce etiam conspiciatur.

XXII. Prognostica quod attinet, ac primò pestilentium febrium, eadem ferè eorum est ratio, quæ pestilentia. Quò enim symptomata sunt graviora & vires debiliores, eò majus periculum portenditur. Quò verò symptomata sunt mitiora, & vires fortiores, eò major salutis spes est.

XXIII. Eadem ferè ratio est febrium malignarum; & quid in qualibet tali febre de eventu morbi sperandum sit, ex iis, quæ in Institut. lib. 3. part. 3. cap. 4. 5. 6. 7. 8. dicta sunt, patet.

XXIV. Tandem curationem febrium malignarum & pestilentium quod attinet, cum duo in his febribus p.n. sint, venenum seu malignitas, & febris: quæ ratione febrili occurrendum sit, ex iis, quæ hæctenus de febribus, patet: quomodo etiam malignitas oppugnanda sit, ex iis, quæ in disputatione præcedente de pestilentia dicta sunt, manifestum evadit. In hoc maxima hic difficultas, cui prius, cui posterius prospiciendum, & quomodo malignitas tollenda sit, ne febris augeatur, & contra febrili prospiciendum, ne malignitas negligatur.

XXV. Quod ut rectè fiat, pestilens venenum & malignitas ac putredo & febris inter se conferenda sunt, & unde plus periculi immineat perpendendum, atque ad id imprimis respiciendum, ita tamen, ne alterum planè negligatur.

*Sudorifera.*

XXVI. Quapropter in pestilenti febre, utpote in qua maxime urget malignitas, statim ad alexipharmaca & sudorifera confugiendum; ea tamen eligenda, quæ temperatiora sunt: qualia antea de pestilentia proposita sunt.

*Vena sectio.*

XXVII. Postea, si opus sit, venæ sectio instituenda est, & quidem maturè, ac vix post quartum diem, antequam omnia in corpore turbata, & vires dejectæ fuerint, Ubi scilicet sanguis vel copia peccat, ut vasa distendat, vel viribus oneri sit, vel motu aliquo agitur, ut metuendum sit, ne ad partem aliquam principem rapiatur.

XXVII. Si verò malum jam progressum sit, viresq; jam laborent, tutius intermittitur, quàm intempestivè instituitur venæ sectio. Si verò vires venæ sectionem non ferant, cucurbitulæ scarificatæ commodè partibus inferioribus apponuntur.

*Purgatio.*

XXIX. Purgatio verò initio harum febrium non convenit, nisi quæ primas vias evacuat sine insigni reliquorum humorum agitatione: fortiora verò non conveniunt, cum humores agitent, venenum iis magis permisceant, ac periculosas sæpè alvi fluxiones excitent.

*Vomitoria.*

XXX. Si materia ad superiora vergat & nausea urgeat, vomitus per leviora vomitoria provocandus.

XXXI. Hinc iterum ad alexipharmaca accedendum, quæ tamen talia sint, ne febris per ea augeatur. Itaq; postea ea adhibenda, quæ temperatiora sunt, simulq; putredini resistunt, qualia sunt; *Acetosa, Poma citri, Granata, pentaphyllum, tormen- tilla, C. C. os de cord. C. Lapis bezoar, bolus armenus, terra sigillata* & similia ex his parata medicamenta. In primis verò aquæ bezoardicæ sæpius exhibendæ sunt, utpote quæ statim penetrant, quæ tamen ita temperari possunt, ut simul febrî & putredini resistant. Ideoq; iis admiscenda syrupus acetos. citri, granator. acetosæ, acetosellæ ac similes, & in talium usu persistendum.

*Vesicatoria.*

XXXII. Imminutâ materiâ vesicantia etiam cum ægri commodo cruribus vel brachiis applicantur: cum sine molestia & virium debilitatione materiam venenatam ab interioribus partibus ad externas evocent.

XXXIII. Si autem febris maligna sit in specie dicta, majorque putredo, quam malignitas, primæ viæ primùm evacuanda sunt, ac non solum clysteres lenientes locum habent, sed & lenientia, syr. rosar. solutivus, manna, cassia, tamarindi, agaricus, trypheta Persica, in primis si materia turgeat. A fortioribus verò scammonio, colocynthide, turbith & similibus planè abstinendum.

XXXIV. Et quidem si putredo statim incrementum summat, febrisque inde vehementior accendatur, ac præcipuè si humores turgeant, statim id, & ante tertium diem præstandum.

XXXV. Verùm in genere hæc satis determinari nequeunt: in speciali de febribus hisce tractatione res clarior fiet. Etenim febres tales pestilentes & malignæ interdum per contagium propagantur, ubi tutissimum est, conceptum quocunque modo inquinamentum per sudorifera & alexipharmaca è corpore expellere, & postea, si opus sit, purgationem & venæ sectionem instituere. Interdum etiam natura ipsa ad ambitum corporis materiam expellit, ut in variolis & morbillis fieri solet. Ac tùm etiam natura in opere suo perturbanda non est, nec materia quæ ad ambitum corporis protruditur, purgantibus ad interna revocanda, sed potius natura alexipharmacis & sudoriferis in opere adjuvanda. Interdum verò febris à vitioso humorum apparatu ortum habet, aut certè fovetur, & materia vitiosa, in Ventriculo, circa præcordia, in intestinis hærens nausea dolore, æstu, amarore oris, anxietate & aliis indiciis sese manifestat, quæ necessariò quamprimum vel vomitum vel per alvum evacuanda.

XXXVI. Primis viis & corpore evacuato, statim venæ *Venæ sectio.* sectio, si ea opus sit, & quidem ante quartum diem, instituenda.

XXXVII. Post corporis evacuationem & venæ sectionem *Sudorifera.* utile est sudoriferi aliquid, sed quod febrem non augeat, exhibere, qualia antea proposuimus. Et quamquam non semper  
B sudor

sudor sequatur, tamen talia medicamenta continuanda sunt, & singulis diebus exhibenda, ut corpus sensim ad sudores disponatur, & Natura tandem spontè suo tempore vitiosos humores per sudores expellat.

XXXVIII. Fortioribus verò sudoriferis initiò vires debilitantur: & cum humores in hisce febris non semper ita dispositi sint, ut per sudores discuti possint, tenuius discutitur, crassius relinquitur.

*Præparatio  
humorum.*

XXXIX. Quapropter præparatio & Alteratio humorum instituenda, iis medicamentis, quæ aperiunt, humores, si opus sit, incidunt, ebullitionem & putredinem sistunt, febris fervorem extinguunt, & malignitati resistunt, ac naturam ad sudores sensim, disponunt, qualia sunt, *Acetosa, scordium, carduus benedictus, scorzonera, sem. citri, rad. tormentilla, pentaphylli, succus citri, granatorum, & ex his syrapi; Spiritus Oli.*

XL. Ubi humores jam satis præparati sunt, nisi Natura eos sponte expellat, per viam convenientem evacuandi sunt. Sed & tum lenioribus medicamentis utendum; & purgatio vix ante diem decimum quartum instituenda.

XLI. Si ad urinam vergit materia, emulsione seminum melonum, citri, cardui benedicti cum aqua acetosæ, capillorum ♀, & similibus natura adjuvanda.

*Topica.*

XLII. Toto verò morbi tempore, tam in malignis, quam pestilentibus febris pulsibus & cordi medicamenta cor roborantia & malignitati resistentia applicanda, quæ passim existant. Symptomata etiam, si quæ urgeant, & vires dejiciant, tollenda vel mitiganda, ut suo loco diceretur.

*Dieta.*

XLIII. Diætam quod attinet, cibus sit boni succi & facilis coctionis: & cum vires langueant, cavendum, ne natura copiâ cibi oneretur. Cibi quoq; iis rebus, quæ huic febre conveniunt, condiendi sunt. A vino, nisi forsân Syncope immineret, abstinendum: Commodior verò est potus tenuis cerevisiæ: commodè etiam præbetur decoctum Cornu Cervi, cum spi-  
rius

ritus Oli ea quantitate, quæ ad gratam aciditatem sufficit:  
cui etiam Julebi rosarum vel violarum aliquid admisceri po-  
fest: Sitim enim sedat, obstructions aperit, putredinem arcet,  
malignitati resistit.

XLIV. Ægyptii, ut refert Prosper Alpinus, *lib. 4. de me-  
dic. Ægypt. cap. 4.* pulpam tamarindorum & berberis fructum  
exsiccatum cum seminibus fœniculi vel citri in plurima aqua  
communi infundunt, potumque ita parant, quem agris in  
febris malignis & pestilentibus toto morbi tempore conce-  
dunt, plurimumque in hujus potus usu confidunt: cum tamar-  
rindorum & berberis fructus febrium putredini  
maximè resistere compertum  
habeant.

SOLI DEO GLORIA.





Ug 576

ULB Halle 3  
004 814 231




f


sb

1077 m









15

DE FEBRIBUS  
DISPUTATIO XII.  
De  
FEBRIBUS PE-  
STILENTIBUS AC MA-  
LIGNIS IN GENERE,

*Cujus Theses,*  
CUM DEO,  
SUB PRÆSIDIO


DANIELIS SENNERTI, D.  
Facultatis Medicæ Professoris ac Senioris,  
& Sereniss. Electoris Saxon. Medici,

*Publicè defendendas suscipiet*

JOHANNES HENRICUS HELMANNUS,  
Osterodâ Grubenhageniacus,

*die 2. Augusti.*

In Auditorio Medicorum,  
Horis matutinis.



WITTEBERGÆ,

Exscripta Typis hæredum SALOMONIS AUERBACH,  
ANNO M. DC. XXVIII.